



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 321. An & à quo ordinari possint Novitii Ordinum Religiosorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

Et cum rursus die 27. ejusdem mensis Julii alium supplicem libellum in publica audientia Vaccarinus Sanctissimo obtulisset, petens sibi & cæteris Sacerdotibus è Societate dimissis alimenta præstari, sub prætextu novæ scripturæ repertæ obligationem præstationis hujusmodi inducentis; quæ tamen scriptura satis antiqua est, sæpe examinata, in antecedentibus judiciis reproducta, recens recocta floccique semper ex pluribus solidisque rationibus à S. Congregatione habita, Sanctitas sua rescripsit, *Acquiescat.*

Q. 321. *An & à quo ordinari possint Novitii* 2197.  
*Ordinum Religiosorum.* R. §. 1. Novitii ordinari possunt, si habeant aliàs requisita: quod enim S. Greg. l. 8. Epist. 23. de admittis ad Religionem dicit, priusquam biennium in conversione compleant, nullo modo audeant tonsurare, rectè cum aliis explicat *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 10. n. 19. sensum esse, quòd, ubi consuetudo est biennii pro Novitiatu, non debeant ante hoc completum admitti ad tonsuram monachalem sive ad statum professionis. *Dixi*, si habeant aliàs requisita, inter quæ pro majore Ordine est titulus congruæ sustentationis, secundùm dicenda à n. 2268. titulum autem *paupertatis* non habent Novitii, cum Ordo illos ad professionem vel vota Religionis necdum admiserit, nec illos stabiliter acceptarit, nec se obligarit ad eos alendos: Hinc *Aversa* q. 3. l. 10. *Delbene* De immun. eccles. c. 12. dub. 3. l. 8. n. 9. *Barb.* De off. Episc. alleg. 7. n. 31. notant Novitios à *Pio V.* prohiberi suscipere majores Ordines ante professionem, nisi aliunde haberent titulum.



2198.

§. 2. Quamvis secundum dicta n. 2190. Ab-  
bates possint Regularibus sibi subditis confer-  
re Tonsuram & Minores, tamen dubitatur, an  
etiam Novitius: negant *Nav. Rodrig. Henriq.  
Barb. Jordan. A. Tambur. &* alii cum *Castrop.* pu.  
14. n. 6. quia non sunt subjecti Prælati, nisi  
quoad illa, quæ spectant ad probationem, ad  
quam non spectat subjectio quoad Ordines,  
uti cum communi *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 10. n.  
22. E contra posse affirmant *Suar. Pirinch, Gob.*  
n. 324. eò quòd Novitii in favorabilibus ve-  
niant nomine regularium, & gaudeant privi-  
legiis Ordinis, in quo sunt, secundum dicenda  
n. 2237. debentque censeri Abbati suo magis  
quàm Episcopo esse subjecti. Utraque opinio  
est probabilis.

2199.

§. 3. Major difficultas est, à quo Episcopo  
Novitius Majore Ordine esset initiandus: *Suar.  
Henriq. &* alii putant ab Episcopo suæ originis  
vel prioris sui domicilii, quia cum ingressus sit  
non animo perpetuò ibi habitandi, sed tantum  
experiendæ Regulæ per unum vel duos annos,  
non videtur acquirere domicilium in loco No-  
vitiatus, & in hanc sententiam inclinat etiam  
*Barb.* De off Ep. alleg. 4. n. 63. E contra *Sanch.*  
suprà n. 21. & l. 4. c. 39. n. 20. *Castrop.* cr. 16,  
disp. 1. pu. 11. n. 8. *Delb.* n. 7. putant in loco  
Novitiatus statim acquiri domicilium, adeoque  
posse ordinari ab Episcopo hujus loci, quia,  
quantum est de se, habet animum ibi perpetuò  
permanendi, saltem apud religiosos, qui pro-  
fessionem loci faciunt: Cui animo, secundum  
dicta hic. n. 2184. non obstat, si fortè per acci-  
dens eum casus vel causa aliò vocet. Etiam  
utraque hæc opinio est probabilis. An autem

Præ-



Prælati licentia requiratur, ut Novitius ordinari possit; item an Prælati ei possit dare dimissorias: denique an etiam Novitius Societatis JESU gaudeat illis privilegiis, de quibus n. 2194. dictum est, colligetur ex dicendis n. 2237.

Q. 322 Quid notandum sit circa suppletionem 2200.  
Ordinum vel rituum in Ordinatione omissorum. R.

§. 1. Universim circa suppletionem notant AA. cum Avers. q. 2. sect. 13. & Gob. tr. 8. à n. 231. seqq. 1. quando postea suppletur aliquis actus, debent iterari forma & orationes annexæ illi actui; & si pars formæ sit omissa, debet tota repeti 2. Si certum sit ordinem vel caeremoniam notabilem esse omissam, debet, si fieri potest, suppleri ab eodem Episcopo, qui ceteros ritus adhibuit, & per se loquendo eo tempore, quo confertur talis Ordo, nisi excuset ratio infamiz, scandali aut alterius extrinseci gravis incommodi: hinc notat Avers. quando defectus fuit occultus, occultè esse supplendum ad vitandum scandalum & turbationem aliorum: putat tamen semper suppleri debere in aliquo ex diebus pro collatione Ordinum designatis, eò quòd ita præscribat Cap. presbyter, De Sacram. non iterandis. 3. Si ob solum dubium sub conditione iteretur Ordo vel caeremonia, potest iterari à quovis Episcopo, quovis die, in privato sacello, & quidem uno eodemque die omnes simul tam majores quàm minores Ordines eisdem conferri possunt, nec necessariò adhibendæ sunt solennitates ordinariæ, præter probabiliter necessarias ad valorem.

§. 2. Si in Collatione Ordinis omissus sit ritus notabilis, v. g. in collatione Presbyterii unctio manuum, quamvis Ordinatio sit valida, uti

ut